



Hiese Anng: W
Pms.

22
Be

+





Æ N I G M A
T O B I Æ
C U M G R A N D I P I S C E
A Q V O D E V O R A N D V S :

Pro rebus *Jonæ* illustrandis
paucis antiqui styli lineis
designatum

ab

HERMANNO von der *Wardt* /
Acad. Jul. Sen. & Præpos. Mariæb.

Helmstadt,

Typis SALOMONIS SCHNORRIL,

A, MDCCXIX,

n. 11.

Tobiæ piscis grandis, a quo devorandus.



Magnum *Jona piscem* vetusti orbis stylo illustrare his diebus contendimus, quando Jonam publice recensuimus, demonstraturi, in ceteris *Jona* symbolis *cerum effigiem* fuisse gentis *Assyriaca*, *Ninivitarum imperii*, quod gentem *Israeliticam* subegit: Quo *Assyriorum* dominio fracto captivitas ista soluta & genti libertas restituta, uti *Jonas ex ceto*, a quo fuerat absorptus, *vivus erupit*. Quidni memoria occurrat & *Tobia piscis pręgrandis*, qui illum devoraturus, e cujus faucibus & hic evasit *salvus*. Imago non dissimilis, etsi circumstantiæ quædam differant, neque scopus dispar. Fas esto, in itinere *Tobiæ* cum *Raphaële* latus *Tobiæ* claudere, quod perhumano huic *Raphaëli* non futurum molestum, qui integros haud ægre ferat amicos.

Ætas libri Tobie non attingit omnino exilium *Israelis Assyriacum*, sub *Salmanassare*, *Sancheribo* & *Afarhaddone*, quod est totum opusculi argumentum: Sed recentioris est ævi. Multo minus ipse *Tobias* autor, pater aut filius: Qua tempestate nemo *Judæorum* *græce* scripsit, quæ dialectus huius opusculi nativa. *Chaldaicum* *Tobiam*, aut *Syriaci oris*, *Hieronimo* obtigisse memorant, sed vertit ex *græco* quisquis *Judæorum* fuerit. *Hebraicas* *Tobiæ* versiones hodie obvias, rivos esse, & valde impuros, agnitum dudum.

Eadem ratio, quare nec migrationem *Babylonicam* præcesserit; quando nondum *græce* locuti aut scripsere *Judæi*, nec causæ historicæ veterem *græcis* exteris scriberent.

Neque vero ullum indicium, quod post captivitatem, *Alexandri* & *Antiochorum* ætatem superet: Quo demum tempore *Judæis* *græca* dialectus familiaris reddita, ut illo ore & stylo uti inciperent.

Non

Non opus immorari scrupulo, qui incautum urat, quod appareat autorem libri excidium urbis Ninives prædixisse, adeoque illud anteivisse: Cum oratoribus, & scriptoribus, potissimum moralibus, solennis sit *prosopeoaiarum* usus, quo viros dudum defunctos in medium producunt tanquam præsentés, qui suas aut suæ ætatis res referant aut recenseant. Has qui ignorat, vel dicendi vim non cognovit, vel scripta veterum gravia non attendit, in quibus prosopeoaiæ regnant. Centena, innumera monumenta veterum, *prosopeoaiæ* præsidio & ornatu autoribus veteribus adscripta, vel res veterum vetusto stylo complexa, quasi ab autoribus præcis remotorum temporum exarata, quando res gestæ. Vanum ergo, ætatem libri colligere, aut antiquitatem ejus, ex rebus antiquis in eo recensitis. Ut præteream, quod ab aliis dudum monitum, in ipso libello permulta esse obvia, quæ Tobiam & maxime longævum non ferant. Taceo superstitiosa plurima, quæ recentem sub græcis Judæorum disciplinam sapiunt.

Est omnino libellus *ætatē græcorum Judæis imperantium* conscriptus, in horum institutionem & solatium, quando duro græcorum jugo ab Antiochis & Ptolemæis pressi, durissime ab his sunt habiti. Exemplum veteris exilii Assyriaci, cum apertius scribere fas non esset, pro imagine præsentis græcorum imperii in memoriam revocatum. Exemplo veteris Assyriaci aut Ninivitarum imperii collapsi & extincti, præsens græcum iri extinctum, exulibus Judæis afflictis inculcare studuit autor Judæus, vel in patria Judæa, vel *Alexandria*, vel alibi inter græcos degens, vir eruditus & suæ gentis exulis misertus.

Illæ ætas genuit inter Judæos *Jesepum Eleasariæ seu Ulselis*, nepotem Jesu Sirachi, a quo *græcus Siracides* scriptus. Sub Artaxerxe Longimano, circa annum illius regni septimum, *Fojada*, ex primo post captivitatem summo sacerdote Josua ejusdem sanguinis & successionis quartus, Pontificatum obtinuerat. Huic tres filii: *Johannes* in Pontificatu dein successor; *anonymus*, qui filiam duxit Sanballati quem Nehemias urbe ejecit; & *Jesus*. *Jesus* ille cum nepotibus ad summum Pontificatum non perveniens, utpote lineæ collateralis, *libris scribendis inclaruit*, vir prudentiæ singularis. Hic dein, fratre Jochanane jam summo ponti-



pontifice, sub Artaxerxe Mnemone cœpit scribere hebraice Ecclesiasten. Hujus *Jesu Jojada*, a fratre Jochanane, summo Pontifice, cæsi, filius *Sirach*, patris, Jesu Jojada, Ecclesiasten auxit hebraice. Hujus Sirachi filius, *Jesus*, ob magnæ sapientiæ æstimationem Salomonis æmulus existimatus. Hic Jesus Sirachi, sub Pontificatu Simonis Justi, sui consanguinei, Sichemitico templo & populo infensissimus, Ecclesiasten avi sui Jesu Jojada & patris sui Sirachi perfecit, hebraice iterum. *Jesu Sirachi filius, Eleasar seu Uziel*, sub Pontificatu Oniæ secundi, qui Simonis Justi filius, Simonis secundi, & Oniæ tertii, durissima sub Antiocho Magno & Ptolemæis, imperio græco, judaicæ gentis expertus est fata. Hujus *Eleasaris seu Uzielis filius Josephus*, in calamitossima Judæis incidit tempora, sub Ptolemæis & Antiocho Epiphane. Hic *Josephus Eleasaris, nepos Jesu Sirachidis*, ex avi sui Jesu Sirachi Ecclesiaste hebraico *græce* formavit suum *πρωτότυπον, Ecclesiasticum græcum*, cui nomen *Σοφία Σειράχ, Sapientia Sirachi*.

Hujus æmulatio proxima ætate mox dedit & *Σοφία Σαλωμών, Sapientiam Salomonis*, quam Philoni cuidam vulgo tribuunt.

Circa quæ tempora & *codices hebraicos veteris testamenti in græcum idioma transfundi* contigit, post Oniam Pontificem, judice Usferio aliisque viris doctis.

Verò perquam simile, *hac inter Judæos tempestate*, ad instruendum partim, partim consolandum Judæos, quorum myriades per Græcos in varias orbis partes exilio erant dispersi, *Tobia libellum græcum esse conscriptum*, Tobia per *προσεποποιήσασθαι* sua commemorante fata, & Israelis fortunam difficilem, spemque libertatis & liberationis factam asseverante. Instruit igitur autor Judæos, quomodo se gerere debeant ad legum Mosaicarum tenorem, sub jugo Græcorum, spemque facit salutis. Aliena exempla valide docent: Et vetera omnium validissime, ex vetustate autoritatem & admirationem nacta.

Senex Tobias, parens, in Assyriaco exilio, pinguetur Nini sedisse, ut Judæi tunc Alexandria & alibi per græcos tracti debebant. Ille effigies gentis exulis, veteris & præsentis. *Εκκακωτισμῶ, passivis stercore oculis illapso*, pro imagine extremæ calamitatis in servitute sub hostium jugo. *Videre*, scriptoribus omnibus, potissimum


S


mum sacris, est prosperitate frui: *Excacari*, felicitate exui: *Cæcis*, infelices, infausti, miseri, captivi, afflicti: *Lucem videre*, est prospera fortuna uti, *lumen* aut lux serena fati prosperitas; *In tenebris sedere*, affligi & duriter haberi: *Caligo*, fortunæ adversitas aut iniquitas. Per prophetas exulibus Judæis promittitur *lumen in tenebris*, prosperitas in adversis, quibus lux oritura, libertate reditura. Prophetæ *cæcis*, i. e. exulibus & misere afflictiis, spondent *visum*, fortunæ serenioris usum. *Tobias* adeo *cæcus*, lumine orbis, Israel exul, miser, lucem non videns. *Ergo* *Sic*, *passeres*, qui *sequuntur calido stercore oculos humi jacentis & cælum respicientis ex pariete impleverant*, symbola *Assyriorum*, qui Israellem jugo Assyriaco subjecerant, & infinitis malis affecerant. *Usus quidem medicis Tobias*, *sed sine medela*; quando Israel exul nihil intermisit apud Assyriorum reges, rogando per nuncios, supplices, causæ & exilii sui in supremo Ninivite foro patronos, omni opera irrita, exilii molestia non imminuta, quin magis aucta, lumine semper negato. Donec res afflicta *in alteram generationem* rediret, *filium Tobias*, qui simulacrum gentis in exilio aut terris hostium propagata: Filios & nepotes primorum exulum experturos divina providentia lucem adspirantem, quæ totam domum cæcam iterum illuminet. Sine numinis gratia omnia ab exulibus tentari frustra. Dei esse, mittere cæco Tobias in altera jam generatione *Raphaelem* servatorem, qui sanet, opem ferat, & visum reddat, consilio & opere.

Tobias igitur *junior*, progenies exulum altera, in difficilibus itineribus suis per Assyriam, sub Assyriorum imperio, non fere animadvertens, dum minime attenderet, dei auxilium experiri cœpit, Raphael ubique comite, salute propinqua. Ad *Tigrim* venit hic juvenis Tobias: Non solum *in Syria* decem tribus Israelis intra Euphratem detentæ captivæ, sed & pars trans Euphratem *in Assyriam* speciatim dictam cum annis delapsa. *Undis Tigridis corpus suum in itinere loturus*: Regni illius & regionis Assyriacæ commodis usura gens Israelitica exul. Ast subito ex undis *Tigridis* emerfit ingens piscis, *Tobiam in undis absorpturus aut devoraturus*: Sedes regni, *Ninive*, exuli Israelitica genti visa ita imminere, ut absorberi & consumi penitus præsentissimum esset periculum.

Silurum indicari *Bochartus* in *Hierozyico* fufe afferere annifus, qui piscis fit & corporis mole grandis, vorax, hominum quoque corporibus infestus; imprimis, quod in illum quadret laudatus postea usus medicus, in felle & hepate cordeque. Tametsi vero non opus fit piscis talis magni genus determinare, quia non nisi *symbolum gentis & regimini*, sub quo israel seruiat, finque plura piscium uti marinorum ita fluuiatilium grandium genera, hominibus in undis inimica: *Siluru* tamen *Bocharti* pro definita *imagine domini Ninivitic* ferri commode potest, in quem libri symbolici autor collimaverit, propter medicinae usum sequentem, pro ænigmatis textura.

Hic *grandis Tigridis piscis*, *Niniviticum imperium*, *Ninive ipsa*, sic in *Tobiam* visa ruere in undis, ut de vita desperandum videretur *Tobiæ*; gente israelitica in illis terris interitui proxima, pro tristi quotidiana experientia, metu indies aucto, aduersis cumulatis.

In mediis illis fluctibus, & tantum non faucibus ac dentibus filuri, *iusus* a comite *Raphaële Tobias juvenis* terribilem illum piscem, dentes in illum stringentem, *aggredi & fortiter prehendere*. Quæ non externi operis & fortis negotii historia, sed *symbolum animi sumendi in israële*, apud *Ninivitas* periclitante. Nec enim hominis fit, vel fortissimi vel audacissimi, in undis nudi, belluam tam prægrandem in flumine, cujus cutis glabra, ut est filuri, invadere & sine armis prehendere. Sed *in effigie* id valet & *enigmate*, in quo & excessus formarum ac operum laudabilis, pro majori attentione & admiratione.

Stupendum proinde *in symbolo* facinus juvenis, roboris incredibile, qui immanem illum piscem inermis & nudus invasit, cepit, & in litus secum protraxit, tremendo sed & inaudito spectaculo. Quæ effigies spei & solatii in israële sub *Ninivitis* ingemiscente, pro voto libertatis obtinendæ. *Juvenis* sistitur *prehendisse*, quando præsignificatum, *divina manu aut providentia Ninivitas iri prehensum*. Illud namque ordinarie tribuitur personæ, quod propter personam fit per alios. Quæ perelegans apud omnes oratores & historicos dicendi forma. In *Israëlitis* nil nisi patientia, modestia, humilitas, fiducia, spes: In deo libertatis apparatus, *Ninivitis & Assyriis aliunde abstrahendis*, ut *Israëlitæ* evadant *salvi*.
Qua-

Quod evenit, Medis & vicinis regibus Niniven expugnantibus. Quæ Ninivitarum expugnatio est prægrandis illius piscis captura & in litore sectio. Et hæc dilaniatio vel sectio permagni piscis non manu Tobia, nisi in effigie, manu dei per exteros reges & populos, Medos præsertim, militum armis, dissipatio illius jugi in israhelitas exules.

Pariter, assarunt carnis illius, manducarunt ex pisce secto, pro commodis in israhelitas redundaturis, Ninivítico imperio tandem dissipato.

Cor & hepar piscis asservata, jussu medici Raphaëlis, in itinere comitis, a juvene Tobia, pro dæmonibus abigendis, si qui infestent homines, pro illius jam ætatis sub græcis inter Judæos opinione aut superstitione pagana, quando gentes omnis generis suffitus & flammæ objicere & obvertere dæmonibus solita pro illis averruncandis. Cui sua ætatis in populo jam Judaico persuasioni inservit autor, si non revera ipse ita persuasus. Tribuit igitur Tobia & veteri ævo, pro profopopæiæ natura & consuetudine, quod sui erat temporis. Symbola vero sunt, cor & hepar, viscera exempta vitalia, Ninivitarum vires velut exenterando fractas, profuturas israhelitis, si ab aliis dæmonibus, aliis adversitatibus & populis noxiis, sint aliquando affligendi: Quod est, Ninivitarum dissipatorum memoriam & exemplum animum semper additurum israhelitis, sub quocunque alio jugo, certa fiducia quod & illæ molestiæ pari fato cum Ninivitis sint terminandæ; ut factum deum in Babyloniis, & Persis.

Hoc est cor & hepar exenterati piscis servare, ad suffitum contra insultus dæmonum: Memoriam retinere & recolere Assyriorum & Ninivitarum dissipatorum, pro simili fato in simili exilio aut tristi gentis Judaicæ casu.

Bilis præsertim filii aliusve magni piscis, cum exempta rosa vesica fellis, a Tobia juvene servata, pro caeco parente ad visum restituendo. Imago pristini favoris Assyriaci in israhelitas exules, qui amarissimum fel superarat. Jam Ninivitarum jugo soluto, & felle illo ex corpore exempto, spes salutis in israhæle caeco aut salutis experite. Fel enesi piscis magni oculis illitum caeci, senioris Tobia, memoria & attenta devotaque consideratio hostium subactorum, fellis illius

illius jam exenterati, apta nata ad visum recuperandum aut lucem oculis restituendum. Ninivitarum jugo dissoluto, respiraturos israelitas, certissima fiducia salutis, lucis, serenitatis, libertatis ac prosperitatis.

Consilium hoc Raphaëlis, pro symbolorum virtute, solatium israelitis exulis. Effectus dein secutus ex promissione Raphaëlis, spei & fiducia pondus.

Juvenis Tobia connubium, symbolum israelitica gentis undique dispersa per orientem, tandem iterum socianda ac redunienda pro reditu in patriam.

Occisi a daemonibus viri priores, symbola, obfuisse grandia obfacula in exiliis israelitica genti cum alijs populis socianda, qui nollent legibus Mosaicis sese dedere, imprimis quod lex severa obstaret peregrinis connubijs, testibus Esra & Nehemia: Donec venit Tobias, ex Israelitico genere.

Hic nullus amplius injurijs daemonum locus, quando rediendi israelitica ipsi, passim in oriente sparsi, pro reditu in Judam. Symbolica haec omnia. Cor adeo & hepar in suffitu facto, ubi de redintegrandi israelitica gente actum, sunt memoria exempli in Ninivitis deletis & velut crematis, qui unioni israeliticae proli restiterant: Par fore aliorum daemonum fatum, ex tali suffitu cordis & hepatis Ninivitarum.

Senioris Tobiae oculi quoque, illi felle illo lucem recuperarunt, pro anigmatis splendore, quando Ninivitis submotis certi israeliticae de sui redintegratione, fore ut tota gens sua aliquando avita gaudeat prosperitate.

Haec illa veteris historia Tobiae profopopæia, in Judaicae gentis, sub graecis, Antiochia & Ptolemais, similiter afflictæ, ex immanis piscis ventre liberandæ solatium, ut Tobias quondam ex ingentis piscis faucibus fuerat servatus, vivus & superstes.

Vosmet rebus servate secundis.


Scr. in Acad. Jul. die 28. Augusti.


1548921

X 2319257

R

VD17





Æ N I G M A
T O B I Æ
C U M G R A N D I P I S C E
A Q V O D E V O R A N D V S :

Pro rebus *Jonæ* illustrandis
paucis antiqui styli lineis
designatum

ab

HERMANNO von der Gardt/
Acad. Jul. Sen. & Præpof. Mariæb.

Helmstadi,

Typis SALOMONIS SCHNORRJI.

A, MDCCXIX.

n. 11.

